Rudawski Laurentii Joani Panegyricus Victori Ioanni Casimiro — oblatus.

PANEGYRICUS VICTORI JOANNI CASIMIRO, POLONIARUM ET SVECIÆ REGI GLORIOSISSIMO.

De Victis, Subactis, aut Profligatis Hostibus,
Duodecimo Imperij sui Anno,
Feliciter Triumphanti.
Novo Septentrionis Alexandro,
vero Trojano.

OBLATUS
Ab ejusdem Majestatis Subdito
LAURENTIO JOANNE RUDAWSKY,
Varmiensi & Olomucensi Residenti Canonico,
Decano Magno Mezeritzensi, in Marchionatu
MORAVIÆ.

OLOMUCII,
In Officina Typographica Viti Henrici Ettelij, 1660.

Serenissime ac Potentissime REX,
Domine Domine Clementissime.

EQuestres ludos solebat olìm Anniversaria solēnitate curiosa spectare Roma, Serenissime Rex Domine Dn̄e Clementissime. Spectandos & ego hodie orbi exhibeo Christiano nō Equestres, sed Regios Ludos Tuos, quos duodecimo Imperij Tui Anno posteris ad miraculū pro DEO & Populo Anniversariâ orbi repræsentas Memoriâ: ut Tibi bellare & vincere Ludus & Lusus sit. Vnde ludere perge Rex Maxime, Hostes ubiq; vince Virtute, Fortunâ, Gloriâ. Subditos ubique bea, pace, otio, ubertate, meamq; ad præsens calami excusa libertatem.

Sacræ Regiæ Majestatis Tuæ

Fidelis Subditus ac humillimus Servus,
Laurentius Rudavvski, Varmień: & Olomuc: Canonicus.

PANEGYRICUS.

ATTIGISTI tandem Gloriæ verticem Triumphator Gloriosissime, adepta est per Te votorum summam Fortunatissima Polonia, tenet supremum culmen sanctissima Religio. Bella bella horrida profligasti bella, triumphos quasi triumphis connectens, palmásque per subactas aut triumphatas à Te circumferens terras, miro victoriarum ordine, ut Te triumphantem calamo sequi, sit non assequi, dum modo in Oriente, quà sol oritur, mox in Septentrione, ubi emoritur, iterumq; victor in Oriente pugnas in Occidente debellas, in Meridie vincis, ac in auspicium ingentis Tuæ Victoriæ Pacem omnibus redonas, quos debellare poteras. Mirabatur Orbis omnẽ in Poloniam vix Te in Regem Electo, effusam Asiam, cum ecce Asiæ jungitur Græcia, Græciæ Suecia, Sueciæ Hungaria, tracto in societatem belli toto Septentrione. Vetera legentibus redibant sæcula, ut in unius Poloniæ Decennalis belli motibus, totius anteacti Orbis legeretur Historia. Xerxis, Cambysis, Nabuchodonosoris tempora, si cum Tuis componantur Gestis, non nisi exitu differunt. Alexander cum Cæsare Mundi illa Fulmina infra Te sunt,

in bellis Victor quæ nunquam quæsivisti. Pacis tandem compos quam unã optasti. Verè dictus Casimirus hostibus Tuis factus casus mirus. Pudet jam Asiam, sociã aliquãdo servilis extitisse belli. Erubescit proprio ad satietatem tincta sanguine Moschovia. Pœnitet pro umbratili Titulo pugnasse Sueciam. Iacet ac tacet Hungaria affectati per vim Poloniæ Regni illustre exẽplum. Plorat, plorat Moldavia Transylvano quondam contra Poloniam fœderata. Ingemiscit Valachia eodem prostrata fulmine. Supplicat Russia Dei digitum in Te experta. Quid enim una resisteret post tot de alijs hostibus gloriosa parta trophæa? Omitto tentatum per Polonos Tuos nempe submissos exercitus in Dania mare, pugnasque mobiles & inassuetas commissas ac in Elemento suo profligatos Suecos. Nec errorem in principio aliquem commisisse Polonos objiciet quisquam: Quis enim mortalium non horreret tot simul incursantes hostes. Aderant à fronte Cosaci, à tergo Sueci, à latere Moschi, populi bellicosissimi Germani, Angli, Galli, Finni, Hungari, Tartari, Moldavi, Valachi. Ut totum Septentrionem crederes in Poloniam effusum, ubi nemo nisi tortus vel tortor fuit. Triumphavit tamen ijs cladibus Europæ Antemurale Polonia, & scoria purgata illustrior, damnis suis ferax, miserijs felix, ruinis erecta, jacturis dives, rediviva in morte,

morte, mortalium victrix & dæmonum, ſementē ſuo ſanguine fecit irruentes profligatura deinde audentius hoſtes & ſub jugum miſſura. Placet tanti emiſſe periculū. Triſtis hoſtiū ac feralis ubiq; exitus, Polonorū pulcherrima probat Acta. Apertis portis cæca ac inſolens hoſtium ingreſſa erat Fortuna, ſed vix per patentia deinde fugiens ſalvata eſt Mœnia. Sexaginta millia hoſtium cæſa, capti duo Generales, quos & Generaliſſimos quondam adorabat Europa: mirabatur Orbis, trecenti & amplius Colonelli admonent, quanti fuerit haud adeo vallatæ ac inermi, ut creditum illuſiſſe Poloniæ? de qua jam paſſim triumphum canebat Hæreſis ac ſubjugatam memorabat poſteris. Vani ſane triumphus ac triſtis victoria; nam victi Victoribus ad extremum dixere leges. Hîc ego horribilē in tot adverſis Polonorum admiror Fiduciam. Hîc ſingularem animum ac ſpiritum CASIMIRI, unà & Auguſtæ LUDOVICÆ MARIÆ ſatis deprædicare non poſſum, tam arctis afflictiſq; rebus, quum de Polonia dubitaret Orbis, triumpharet Hæreſis, auſi eſtis optimi Principes in diverſa reſpicere, quumq; hoſtes in jugulo, per utramq; Poloniam, Lituaniam, Ruſſiam, Pruſſiam, Maſoviam, Samogitiā, volitarent, mediamque de Polonia Sveciam, de Lituania Moſchoviam, de Ruſſia Hungariam facerent, eodem tempore, & hos modicis ſuſtinebatis viribus, &

 in Po-

in Pomeraniam, Marchiam, Livoniam ac Transylvaniam diversa per terrarũ Orbem arma mittebatis. Fassus est Daciæ Regulus maximũ Polonæ victoriæ decus, supplex & tunc usque non catenis opertus. Vitam se Victoribus debuisse Polonis, addiderat paratum esse in castra venire Regia, tum & phaleras, & sua arma ante Poloni Regis, Reginæq; Magnanimæ proijcere genua. Ita Virum fortem quadraginta suorum millibũs tumidum ac superbum, fortissimi vicêre Poloni, exiguâ manu, quæ vix septem millium erat. Et qui paulò ante periturã à se cecinerat Poloniam, suum suorumq; tunc victus, deplorabat interitũ; stupente Europâ, quæ Transylvanum paulò ante quadraginta millibus superbum, vix reducem trecentis deinde comitatum audivit Hungaris. Has vices habet mortalium conditio, ut secunda ex adversis, & adversa ex secundis producat. Mars etenim communis, sæpè victum erigit, sæpius affligit Victorem. Fortunæ tunc rotam Polonum Imperium credidisset quispiam, & fuit. Cæsâ etenim subsidiali Alpestri manu, illicò expugnasti CASIMIRE Cracoviam, recuperasti Varsaviam, occupasti Brestiam, pulchrum coëgisti Thorunium, servasti Leopolim, liberasti timore Russiam, fregisti Svecorum audaciam, pressisti tumorem, retulisti potentiam. Quis Heroum unâ ætate, quod CASIMIRUS unâ ætate? Ulterius

igitur

igitur immissâ Aquilâ, fugit Aquilo, capti per cornu Septentriones. Restituta Borussia, intactum relictũ Gedanum, erepta ex hostium faucibus fortissima Elbinga cum Mariæburgo, Polonia denique sibi ipsi restituta, qualis ante fuerat. Eo modo bellum Sveco-Polonum gloriosà confecisti pace. Felicitati enim Tuæ Pax ipsa militavit. Pro DEO & Populo, pro conservanda Poloniæ libertate pugnasti. Ita Regem Jagellonici Austriaciq; nominis decebat & Sanguinis, Poloniæ libertatem Manutenuisti, ad agendum & patiendum fortia, exemplo alijs fuisti. Videant hostes, videant amici CASIMIRE, quorum dici Rex debeas, cùm agere & pati fortia Tibi soli proprium sit..

Domitâ in hunc modum Sveciâ, recuperanda Tibi CASIMIRE restabat Lituania cum Russia, quæ Tuam fulminantẽ simul ac triumphantem exhorruit dexteram. Orbem Lithuanum primùm calcaverat Svecus, calcatum mox inverterat Moschus, qui calcaverat cecidit, qui inverterat, euersus est. Gemina Moschorum clades ad Konotop & Lachowice accepta satis admonuerat hostem, violatæ Pacis, Casimirianæque Fortunæ ac felicitatis, restitit ille tamen trophæũ immortalis gloriæ Tuæ posteris futurus, ut potè qui Lauros, necnon Palmas in victrices manus Tuas insinuare debuerat. Nunquam enim Magnæ Sar-

gnæ Sarmatiæ Reges, aliter progrediuntur, quàm Orbis Triumphatores, nunquam è bello domum regrediuntur, nisi in Marmore vel Tabula rectè gestorum comitatu stipati. Hinc quid Tibi ex Cruento Martis Sacrificio, tot bellis perfuncto, tot hostium spolijs opimo, quid inquam reduci Tantæ Majestati dignum proponat Ecclesia, pro qua pugnasti, Patria quam defendisti, Orbis denique Catholicus quem Tuis Victorijs & Trophæis illustrasti, non invenio. Aureum quondam simulacrum ob Metelli victorias & adventum, Marmoreum votum ob Fabritij Æmilij in Urbem introitum, Fortunæ Reduci profanorum rituum observatrix consecravit Antiquitas: Auream & hodie duorum Principum, CASIMIRI & LUDOVICÆ MARIÆ æternùm duraturam Ecclesia deprædicat memoriam, pollicetur gratitudinē, Marmoreā offert & vovet gloriā. Inscribet haud dubio suorum Annalium fastis Gloriosa Roma, Hoc Gemino regnante sydere, CASIMIRO & LUDOVICA MARIA superatos Septentionis scopulos, disiectas sonoras tempestates & procellas, perijsse Balenarum haud expectatos incursus, risisse Cætuum & Grandium assaltus, redijsse deniq; Sarmatico Orbi Fortunā Reducem Tito Vespasiano Solymâ expugnatâ reduci Immortalē Popul⁹ Roman⁹ extruxerat mirâ cælaturâ & arte Triumphalem Arcum. Pio & Trajano Opti-

Optimis PRINCIPIBUS, æternùm duraturos erexit Colossos. Suo Vespasiano, suo Pio, suo Trajano, suo inquam CASIMIRO & LUDOVICÆ MARIÆ eriget non dubito rediviva Sarmatia, duos æternùm duraturos Colossos, subscribet & Imagini: *JOANNI CASIMIRO, novo Septentrionis Alexandro, vero Trojano, Svetico, Moschovitico, Transylvano, Roxolano, Pio, Felici, Victori, Triumphatori; Augusto Patriæ Patri, Reipublicæ Polonæ Conditori, Aureæ Libertatis Vindici, Redivivo Lecho, Glorioso Constantino, non uno sed multis domitis Maxentijs celebri, Senatus Proceresq; Poloni, suo Regi, suo Parenti.*

Parte ab altera alter statuetur Ludovicæ Mariæ Colossus, addetur Magnifica eidem subscriptio: *Parenti Patriæ LUDOVICÆ MARIÆ, Poloniæ Resuscitatrici, ac Tutellari Deæ, Ætatis nostræ Phileæ, Zenobiæ, Pulcheriæ, & Isabellæ, superiorum sæculorum miraculo, posteritatis exemplo, Periclitantis Fidei salutari Cynosuræ, pereuntis Patriæ fortunatissimo ac faustissimo Syderi, Augusto Palæologorum surculo, perpetuæ sanciti fœderis memoriæ, Galliarum delicio, Orbis Oraculo, Orientis splendori, perditæ Christianitatis Reparatrici, Furentis Martis Interventrici, Senatus Proceresq; Poloni, suæ Reginæ, suæ Parenti Patriæ.* In has & similes lætitiæ Panegyres prorumpit hodie Polonia, cui universus subscribit Catholicus Orbis.

Quanquam hæc omnia gratulantium Vota, infra Vestram Magnitudinem jacent Optimi PRIN-

CIPES. Veſtræ illæ ſunt, ſed felices & decoræ catenulæ, ne graviori utar verbo, aureæ compedes, quibus non aures ſupra fabularum miracula, ſed ſubditorum Veſtrorum animos in Regiam Veſtrã attraxiſtis & arctiori nexu devinxiſtis. Pulchra captivitas, & quam aliquis magno mercetur, vinctum eſſe beneficijs ſuorum Principum & cedere in prædam tantis Venatoribus, quos ultrò ambire in felicitatis parte numeramus. Ibunt in Orbem poſthumæ ætatis immortales voces, à Septentrionali Sarmatia peregrinæ, proſperam faciẽtes Vobis memoriam, dum deterrimâ Dominantium comparatione gloriam Vobis apud Poſteros quærent, atque exigere videbuntur, non degeneres Succeſſorum animos ad normam virtutis Veſtræ coæternùm victuros. Ibunt clamoſæ & Vocales Muſæ, non inter circumforanea compita, ſed intra Veſtra ô PRINCIPES externi limina partium aliquando ſecuræ, ac in clandeſtina conclavia immigraturæ CASIMIRI ac LUDOVICÆ MARIÆ res geſtas apud invidioſa pectora exaggerantes, tantò audentiùs, quantò impenſiùs literas illi fovent qui digna literis gerunt. Tinnient credo multorum auriculæ ad inaudita atque ab ultima barbaria accerſita Sauromatarũ & glacialis Oceani nomina. Certabunt infeſta Orbis Regna, nec ſatis conſtanti rumore obſtrepere ſibi audebunt, quæ plus immortali nomini Veſtro ſint laboraturæ. Interim referentur

rentur inter fumosas Regum ceras vivæ fortitudinis & magnanimitatis Vestræ Imagines, nullo adulationis panno convelatæ. Narrabunt & effingēt Historici rerum Vestrarum gesta: Delineabunt Pictores. Hinc immanē Leonem, Leonino animo CASIMIRI & LUDOVICÆ territum, ac efferatâ immanitate, ceu veteribus exuvijs depositis ad Regios Vestros pedes procumbentem. Illinc pullatas & inauspicatas Moschoviæ Aquilas, veluti minorum gentium volucres, in prædam cecidisse triumphatrici Polonæ Aquilæ. Celabit solers statuarij manus armatum Equitem propriam scilicet & genuinam bellicæ virtutis sobolem inter continuas CASIMIRI Victorias propagatam. Apponent & Immortalibus Nominibus coronides tergeminas, Jagellonicas, Austriacas, Palæologas coronas. Ita, ita CASIMIRE cum LUDOVICA MARIA sera post fata triumphabis. Sed ante tamen ætatem nostram stipendiariā Tuæ immortalitatis Regiâ & inoffensâ prosperitate corona, ac cinge tempora Patriæ Tuæ indefessæ felicitatis corollâ, quam Tibi & Tuæ Serenissimæ Reginæ renatæ Polonæ felicitati, Vobis, inquam Optimis Principibus, longa fatorum series, & diuturna Immortalitas nectit. Quorum me Magno Nomini æternùm sacro & dico.